

TV, 101 .

2,15.



20.
BONA VERBA, 23

quibus

Honorem & Amorem Conjugalem

VIRO Clarissimo,

DN. M. JOHANNI
PEISKERO,

P. L. C. & Scholæ Wittebergensis Re-
ctori dexterrimo,

ut &

Lectissima pudicissimaq; Virgini

MAGDALENÆ,

VIRI spectatâ fide, probatâq; vitâ,

DN. MARTINI TREBELJAH-

RII, Electoralis Convictorii publici, quod heic lo-
ci est, Oeconomi quondam fidelissimi,


RELICTÆ FILIÆ,

Ipsa Nupt. die, XIII. Septembr. Anno cl. l. c. LXX.

VVITTEMBERGÆ,

faustum precantur

PATRONI, FAUTORES, AMICI.



Typis JOHANNIS HAKEN,

A Moribus, PEISKERE, felici-
cissimis

Vestris tot atque tanta compre-
cor bona,

Quot quantaque exoptas Tibi &
Sponsæ Tuæ

Et hæc Tibi Sponso. Undequaq;
vividi

Sint vestri Amores, floridi sint
nescii

Tristatis infortunii, procul malis
Animæque corporisque cunctis!

Una sit

Mens Vestra, sed non una amo-
ris pignora!

Quod gratulab. deproper.

Constantinus Ziegler/D.

Acad. Rector.

Non hominum arbitrio, fato connubia fiunt.
Exemplo Sponsus comprobat Ipse suo.
Gratulor hoc fatum: feliciter omnia cedant.
Sit sine lite domus, non sine prole thorus.

Abraham Calovius, D.

Dulm sociata Tuo est thalamo, Clarissime PEIS-
KER,

Sponsa pudica, bono sic moderante DEO.
Applaudo ex animo, Sponsam Tibi gratulor istam,
Hac digna est thalamo, digna favore tuo.
Invideant quicumq; velint. Ego grator honores
Vobis ex animo, prospera quaq; precor.
Vivite concordēs! felices vivite! nunquam
Vestrates intret rixa protervalares!
Concordes lecti lectissima pignora ferte,
Pignora chara solo, pignora chara polo!

Johannes Meisnerus, D.


Nunc verè, PEISKERE, Tibi providit Jova,
Qui regit imperii pondere quaq; sui.
Munia clara Scholæ sequitur lectissima Sponsa,
Quò tecum cunctos exigat illa dies.
Fœdera connubii fausto sic alite cœpta
Progressus felix deseruisse nequit.

Johannes Andreas Qven-
stedt, D.

CArmina, SPONSE, Tibi, qui diceris ipse Poëta,
Poscis, at ipse Tibi carmina ferre potes.
Carmina non scribam, quia non fert talia tempo-
pus

Quod nunc mentem aliis tradere rebus amat,
Vota tamen dicam: Cœlestis Gratia Vestrâ

Corda repente pio jungat amore precor!
Atq; Domum Vestram Domini benedictio ditet!
Sint mala cuncta procul! sint bona cuncta prope!

Clarissimo Dno Sponso felicioris ominis ergo
scrib

Johannes Deutschman D.

Um, PEISKERE, Tibi offertur castissima
Virgo,

Ex lætis animis vota precesq; fero:
Vivat PEISKERUS longos per Nestoris annos,
Cum suavi costâ, quæ probitate micat;
Ad sit Eros vestro thalamo, procul exulet ira;
Sit sine lite domus, non sine prole torus.
Vobis, Qui Rector, Quæ Rectrix, jugiter audis,
RECTORIS celi Gratia larga fluat.

Joachimus Berger /

D. & Prof. Publ.

Sit

Sit thalamus Felix, sit multâ prole beatus!
Gaudia mille ferat! commoda mille ferat!

Gratulab. scrib.

Wernerus Theodorus

Martini, D.



Nunc erat in fatis castam Tibi jungere Costam,
Quæ vitæ generi dulce levamen erit.
Sic bene, sic poteris Scholicos perferre labores,
Et curis melius consuluisse tuis.

Ipsæ Garmarcha piis benedicat ab æthere tædis,
Faustus ut ex voto sit maneatq; thorus!

ita gratulabatur

Conradus Victor Schnei-

der, D. P. P.



Ergo laboriferis medicamen quæritur horis,
Quod Tibi, Sponse, lubens Sponsa pudica
dabit.

Gratulor hocce Tuocordi, prædulcius ipso
Melle, quod in ceris fedula ponit apis.
Vivite tranquillam, Nconymphæ, vivite vitam,
Perpetuoq; comes floreat alma salus!

Michael Sennertus,

D. P. P.

A 3

[Quæ]

Qua Tibi, dum tædas poscis, Reiskere, jugales,
Atq; subis Paphie vincula sacra Deæ,
Carmina contexam? quæ vota precantia fun-
dam?

Dicere nempe Tibi carmina mandat amor,
Per multos mecum vixisti suaviter annos,
Et nobis semper vita probata Tua est.
Novi candorem mentis, quæ tempore nostro
Rara avis, & tutam, cum pietate, fidem,
Concordemq; animum, reliquasq; in pectore fixas
Virtutes, longum quas memorare foret.
Has ergo fieri Tibi pronuba Numina cunctas
Exopto, ac thalamum condecorare Tuum.
Cingat eum candor, concordia, paxq; fidesq;
Nec non virtutum cætera turba, precor.
Hoc patet placidè current Tibi tempora vitæ,
Atq; Tuus poterit felle carere thorax.

Michael Wendelerus,

Philos. ac SS. Theol. Doctor, Facultat.
Theol. Assessor, Theol. P.P. Extraordi-
narius, ac Moral. Philos. P.P. Ordina-
rius.

Nunc Tibi providit DOMINUS, clarissime
Sponse,
De castâ Sponsâ, Conjuge deq; piâ;

Sic

*Sic sibi fidentes nunquam rellingvit Jova!
Sic dat, quæ justus corde calente petit!
Idem det Vestro Thalamo, Clarissime Sponse,
Quæ VOBIS profint tempus in omne, precor!
Gratulab. scribeb.*

M. Georgius Wagnerus,

Fac. Phil. Adj. h. t. Decanus.

S*I qui Conjugium poscunt, quia Vota reposcunt,
Næ meritò poscis Tu quoq; Sponse pie?
Conjugium sit tale tuum, sibi quæle beatum
Et Sponsa & Sponsus fortè vovere voluit!*

בלה לב ולב

scrib.

Andr. Sennertus, P.P.

Academ. Sen.

H*Actenus ad celsi grassare cacumina Pindi;
Cursum nequaquam flectere quivuit a-
mor.*

*Jam, Vir Clare, tamen Cypridis solertia mentem
Vincit, & in casse te trahit alma suos.*

*Non Pindi tantum Tua vertice clauditur hora,
Tempus & Idaliæ scandere terga jubet.*

Sit

Sit Cœptum felix! Præsens benedictio Jovæ
Florenti, voveo, sorte perennet opus.

Christianus Trentschius,

P. P.

Clarissimo

POETÆ-SPONSO:

Siccine opus vivum tentat jucunda Poësis
Efficere? ac plures multiplicare pedes?
Cæsareo pridem mēruisti nomine Laurum:
Jam caput hoc florens Sponsa coronat o
vans.

Quàm benè conveniunt, ornari duplici ferto!
Spondæus longos spondet habere dies.
Hos precor: & sobolem, sanoq; in corpore pacem
Addo. Quod his superest, omne Jehova dabit.

FELICITER acclamabat

Georg. Caspar Kirch-

majer, P. P.

Gratulor ex animo tibi, per dilecte Magister,
Quòd thalamo præstans sit data virgo tuo.
Fata diu servent ambos per Nestoris annos,
Ut syaves fructus dent videantq; tori.

Michael Strauch/

Mathem. P. P.

Ad

Ad Clarissimum
DN. SPONSUM,

Poëtam Coronatum haud ignobilem,
Amicum honoratissimum pariter
ac conjunctissimum.

DOcta licet scirbas & carmina grata Ca-
moënis,
Non, PEISKERE, tamen jure Poëta
cluis.

Carmina TE Vatem faciunt, sed nulla Poë-
tam,

Hic titulus testem sensile poscit o-
pus.

Laurigerôs Phœbus facit, at Venus alma Poë-
tas,

Ipsa poëma docet scribere Nectare-
um.

Mitte igitur versus, Cythereum scribe poëma:
Sic, PEISKERE, dein jure Poëta clues.

sc.
Georgius Green /
Hist. P. P.

B

Carpè

CArpe ergò impositi solatia grāta laboris,
Ac Ludo Ludi tristia pelle novo.
Lenta ubi formandæ capient te tædia pubis,
Hic formare tamen non grave forsan erit.
Nos votis certare juvat. Si mille labores
Ille tulit, Ludo hoc gaudia mille metas:
Pluria nec possis illi dare commoda Ludo,
Quàm novus hic queis Te Ludus, Amice, bect,
Sera sit imponens Vestro Diludia Ludo,
Sera sit, ac vestro fleta nepote dies.

Ludebat, sed cum serio voto

Sam. Benedictus Carpzov,

Poëf. Prof.



EST modus in rebus, sunt certi denique fines,
Non vacuus semper PEISKERI gaudia lectus:
Adjungit lateri sociam: conamina laudo:
Successus video: sit felicissimus, opto.

Amico veteri gratul. ex animo

A. Wfeiffer.

JAm Tibi, Sponse, datur vitæ pars altera, Con-
jux,
Quæ pia, quæ prudens, quæq; pudica cluet.
Gra-

Gratulor hoc donum, quò, Coeli munere, gaudes
Gratulor, & Tædis prospera quæque precor;

M. Augustus Fleischhauer /

Eccl. Witteb. Archidiaconus.



PEISKERO datur ecce novo nova Nupta Ma-
rito

Magdalis! ætatem curat uterque suam.
Quisquis ades Conviva, meo fac mutua voto,
Et Symphoniacis sic modulare modis:
*Cum Nupto, nova Nupta, novo cole jura juventa,
Ut veteres multo germine sitis Avi!*

Benevola acclamationis

ergò

scrib.

M. Casparus Schmidt /

Diaconus Wittebergensis.



Quam Tibi prospexit sociam, Clarissime Re-
tor,

Jam dudum in celo provida Cura DEi.

Hanc dextrâ Mystes Tibi junxit more recepto,

Hinc & digna novo sunt nova vota Toro.

Me

*Me verbo expediam: Tædæ sint omine ceptæ
Felici, ex voto cuncta secunda fluant.*

Hocce pio voto animum suum benevolum
erga Clarissimum Dn. Sponsum & Spon-
sam declarare voluit

M. Johannes Fabricius,

Ecel. Witteb. Diaconus.

Nunc Tua messis adest, Fautor, modò gliscit
in herbâ:

Omnis abest studiis (nam vocat hora)
mora.

Nunc fruerè, ò felix autumnì divite messe,
SPONSE, bonis, quæ fert conjugialis amor.

Nunc veniat messis Tibi prima, sequatur & olim
Altera, quando thori pignora chara metes.

*Quod ex merito debebat dudum CL. Dn. Sponso
votum amœbaum fert*

M. Johannes Simon

Schernhauer/ Diac. Substit.

CLARISSIMO PEISKERO,

Suo,

POETÆ

Cujus Apollineâ cinguntur tempora lauru,

SPONSO,

acclamabat

prolixissimo animo,

FELICITER

M. F. C. P. A.

Quæ

Quæ TIBI metra feram *Sponso, clarissime Vates,*

Cui dedit Aöniam Calliopéja lyram ?
Post varios casus TIBI nunc *providit JOVA:*

Ridet APOLLO, VENUS, MAGDALIS, HY-
MEN, ovant,

Cuncta fluant, refluant felici sydere, Sponso
Carmina ceu venâ divitiore fluunt,



Ad

Honoratissimum

DN. SPONSUM.

Siccine mordet Amor mordaci pectora telo
Jam Tua, PEISKER, Amor pectoris usque
mei?

Sic; quia Fata ferunt. Mordacia scommata noli
Curare Asmodei: Te regit ala DEI.
Mordicus ergò Tuo persiste in Amore; sequentur
Pignora amoris, amor deliciaeque Tuæ.

infelici venâ

*cu τῷ ὀδύχρημα
scrib.*

felicia quaque precatus

M. Christianus Faseltus,

Coll. Philos. Adj.

Non

Non Tibi sunt curæ juvenes modò, casta pu-
ella

Non minus est animi pars adamata Tui.

Seria proponis, Rector præclare, juventæ,

Quæ curas poscit nocte dieque Tuas:

Ludicra nunc tractanda Tibi, Neonymphe, pu-
rato,

Dum casto in thalamo ludit amica Venus.

Fausta Tuis tædis ego tot de corde precabor,

Quot Tibi ludenti basia Sponsa dabit.

Gratulab. scrib.

M. Christianus Röhrensee /

Coll. Phil. Adjunctus.



SI rectè memini, calles numerare peritè,

Computus & notus sic, **NEONYMPHE,**
tibi.

At quæso numera, (res est non parvula) quantum

Solus habebaris? Solus & unus eras.

Crede mihi, numero nullo: nam solus & unus

TE numero vero non numerare vales.

Addere dum placuit, numera nunc; solus & una

Quem facient numerū? Sic numerare probo:

Addere sic pergas numerum, sed subtrahere nunc
quam:

Quantus erit numerus sic numerando tuus!

Crede,

Credo, tuus numerus tot multiplicare valebit,
Unus quot numerus dinumerare potis.
Cetera, praetereo, tantum precor augmina laeta,
Donec vel numerans non numerare potest.

*Hac joco seria auspiciatissimo tadis addere
voluit ludibundus*

M. Christianis VVolf,

Fac. Ph. Adjunctus.

Tu quoque, qui caecirifisti tela puelli,
Cui nullo tetigit vulnere corda Venus,
Jam victas, PEISKERE, manus, jam por-
rigit arma,

Et captus nolles non potuisse capi.

Sic gratos primi flores dum carpis amoris,
Frugifer Auctumnus Ver Tibi dulce refert:
Ut sua jura tamen decursu reppet at anno,
Impleat & blandâ postea fruge domum.

*Ex animo gratulatur amicissimo
Sponso, Fautori honoratissimo,*

M. Theod. Kirchmayer,

Fac. Philos. Adjunct.

Præ-

Præcellenti ac Præclarissimo

VIRO SPONSO,

Fautori amicissimo,

ætatemq; colendo;

FELICITER!

G Audia, quæ multis dabitur gaudere diebus
Noctibus & multis, inchoat illa dies.
Illa dies, vestros populo quæ monstrat amo-
res,

Ominis illa dies plena feraxque boni.
Hanc caelum auspicio, Concordia dulcibus horis,
Ubertas opibus condecorasse velint.
Hujus ad exemplum series longinqua dierum
Ibit, agens Sponsis fata benigna novis.
Hinc erit, unde pii gratentur semper Amici,
Unde Aedes niteant, unde Poëta canat.

αὐτοῦ ἡ δίασι fundebat

M. J. F. Scharfius,

Fac. Philos. Adj.



Ed 198

ULB Halle 3
002 040 255




Sb


UD 17

mit






BON
Honorem &
VIR
DN.M.J
PEIS
P.L.C. & Schol
ctori
Lectissima
MAG
VIRI spect
DNI. MARTI
RII, Electoralis Con
ci est, Oeconom
RELIC
Ipso Nupt. die, XII
VVIT
faust
PATRONI, FA
Typis JOH



TIFFEN® Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



23

